Docuerunt, DEUM quidem scire omnia, sed non gubernare singula. Quid Chaldaei docuerint, audiamus! Astris res secundas et adversas omniaq; hominum negotia subjecerunt. Quid Manichaei senserint, accipiamus! Aliud principium ciendis regundisq; bonis, aliud ciendis regundisq; malis commenti sunt. Plures alii cum Protagora, Democrito et Epicuro Providentiam circa partes mundi inferiores negavêre. Omnes, omnes sanè hi aliiq;, quamvis absurdissimas foverent sententias, assensum tn. apud non paucos et applausum merebantur. Ex gentilium de Deastrorum timore id maximè elucescit opinione. Hae n. etiamsi adeò incerta ac inconstans ~~fui~~esset, ut nunquam ritè de ea conveniret; adeò ridicula, ut vix risum tenere possent, quibus cerebrum non in calcaneo; adeò absona et absurda, ut credi vix posset, bassiatores tn. suos, eosq; non paucos, inveniebat. Quum igitur potissimùm de Jovis Timore doctrina in Theologia gentili magnum assensum olim meruerit, quàm absona quoq; illa, quàm absurda, imò et quàm impia ac blasphema ipsa esset: ecce ego, plurimorum Deorum Dearumq; timore interim praetermisso, impraesentiarum solum Jovis timorem discussurus adsum: ubi n. quantum foeditate sua vituperii hic ipse mereatur timor, perspectum à Vobis, Auditores Aestumatissimi, cognitumq; fuerit, faciliorem doctrinae de reliquorum Deastrorum omnium timore discussionem ac decisivam fore firmiter mihi persuadeo. A Vobis autem, Musarum Patroni, Viri verè Apollinares, etiam atq; etiam magnopere contendo: ut tenuitatem meam et attentione et benevolentiâ vestrâ sublevare ne dedignemini. Nolite quaeso per vos facere: ut delicatae vestrae aures abhorreant ab oratiuncula hac mea, si fortè aut inamoenum, aut etiam quippiam asperum foret: si fortè incomto filo ac stylo contexta videatur.

Lactant. L. de Ira DEI C. XIII.